

dius, atque vel superius magis, vel inferius, reflexionis punctum quaerendum, invento autem uno radio, alter, pro natura speculi magis vel minus divergens, ita describendus est, ut pupillam inferius in K introire possit: radii ergo tales duo ad aequales angulos reflexi, (mensurae semper ab uno capta & altero ad illam descripto) punctum, e quo prodire, repraesentant, ac sic plures ex toto aliquo corpore egredientes, totam illius imaginem.

§. VII.

Differuimus quidem haecenus de uno solum oculo, verum idem quoque intelligendum est de altero, & utroque simul: nam veluti in directa visione objectum aliquod eodem modo inque eodem loco, uno & duobus oculis videmus, neque unicum ibi & hic in diversis locis geminatum; sic quoque in reflexa visione nihil mutationis affert pluralitas oculorum, verum in eodem loco quo uno oculo, ambobus etiam oculis objectum cernimus.

CAP. III.

Ex principiis supra praemissis Phaenomenorum Cap. I. enarratorum causas deducens.

§. I.

JActo nunc generali fundamento, ad speciales quoque causas reducamus phaenomena illa Cap. I. enarrata, ordine proposito progredientes.